



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 1. Invalidum est non Privilegiatum Testamentum, cui deest  
necessariæ solemnitatis firmamentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

§. V.

De Principiis ad Testamenta pertinentibus.

PRINCIPIUM I.

Invalidum est non privilegiatum Testamentum, cui deest necessaria Solemnitatis firmamentum.

Sensus.

Hoc est, si Testamentum aliquod, quod non ex speciali dispositione privilegiatum est, requisitam à Jure septem Testium legitimorum subscribentium & sigillum apprimendum (si scriptum sit Testamentum) aut certè audientium (si occupativum sit) ac universalis Hæredis instituti solemnitatem non habeat, pro valido haberi non potest.

Authoritas.

Desumptum est ex l. Consultissima. C. de Testam. junctim cum paulatim. Item ex l. Hæredem § 9. ff. de R. l. & communi Theologorum & Juristarum doctrina, ipsaque consuetudine.

Ratio.

Quia, cum ultimæ Testatorum voluntatès variis fraudibus, & litibus sint subjectæ, meritò ad has cavendas supra præscripta Solemnitas è Jure introducta est; nam ut in l. Testamentum C. de testam. dicitur, abundans cautela non debet.

Praxis.

Hinc deducitur I. Si unus ex Testibus non sit, aut habeatur illegitimus (v. g. quia non est extraneus, aut quia surdus, mutus, cæcus, furiosus, jure infamis est) hoc ipsò invalidum sit Testamentum. Dixi tamen, si non habeatur legitimus: quia si tempore Testamenti confecti pro legitimo fuerit habitus, & postea illegitimus fuisse deprehendatur, tum error communis impedimenti latentis jus confert, uti in argum. l. Testibus. ff. de offic. Prætor. dicitur, & communiter approbantur.

Autho-



Authores, teste Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 9. quoad presentem  
sum verò speciatim deciditur in §. cum aliquid. Insti-  
dem, dum dicitur. Cum aliquis ex Testibus, testamenti  
dem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem  
vius appareat, Hadrianus, Severinus item, & Antonius  
scripserunt, subvenire se ex sua liberalitate Testamento,  
sic habeatur firmum, ac si, ut oportebat, factum esset. Quod  
constitutionem Doctores, teste Laym. l. 3. tr. 5. c. 1. n. 2. com-  
muniter ob eandem rationis æquitatem ad alios etiam  
les casus extendunt.

Deducitur 2. Si Testator in suo Testamento Hæredem  
quî in universum Jus defuncti succedat, instituere omittit  
nullum quoque fore Testamentum, uti apertè in Insti-  
Fideicom. hæred. §. 2. habetur, cum Hæredis Institutio sit  
& fundamentum Testamenti.

Deducitur 3. Etiam ex eo capite invalidum secundum  
Jus civile fieri Testamentum, si uno tempore & contem-  
fiat, ita ut nullus actus extraneus & alienus à Testamento  
terminetur; uti ex le. Hæredes 21. in fine ff. qui testam.  
cere possit. & le. Antiquitas C. hoc tit. colligitur.

### PRINCIPIUM II.

Non obest Testamento deficiens solemnitas,  
cujus defectum supplet Privilegi  
qualitas.

#### Sensus.

Hoc est, licet interdum aliquod Testamentum debita  
solemnitatibus careat, si tamen per Leges & Jura cum  
dem circa similes solemnitates dispensatum fuerit, perinde  
validum haberi debet, atque alia Testamenta, quæ cum  
omnibus à Jure requisitis solemnitatibus sunt confecta.

#### Authoritas.

Desumptum est ex legibus & Authorum infra pro  
gularibus corollariis citandorum unanimi consensu.

#### Ratio.

Quia ad eundem legislatorem pertinet leges condere